Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

in

Deutsch-Crone

in dem Schuljahre 1868—1869,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 30. Juli

und

zu den Schlußfeierlichkeiten am 31. Juli

ergebenst einladet

der Director Professor Łowiński.

NEUE FOLGE.
Nro. XIV.

Deutsch=Crone,
Druck von F. Garms.
1869.

DE EURIPIDIS HECUBA

quid secundum Aristotelis præcepta statuendum sit.

Scripsit **Julius Löffler.**

Permagna est de Euripide dissensio inter recentiores criticos; quorum plurimi Aeschylo et Sophocle multo inferiorem eum esse putant, qua re concitati alii non satis habent eum purgare, verum duobus illis longe eum anteponunt. Inter omnes quidem constat, Euripidem ab eo tragoediae habitu, quem Aeschylus et Sophocles tradidissent, digressum esse; quaeritur autem, melioremne in partem facta sit haec mutatio an in pejorem; unde orta est criticorum dissensio. Veteres de hac re ita consentiunt, ut principatum quidem deferant Aeschylo et Sophocli, tertium autem locum nemini tribuant nisi Euripidi. Aequalium quoque, qui ex nova tragoediae constitutione maximam oblectationem ceperunt ideoque conniventes in vitiis maximos poetae impertiverunt plausus, nemo palmam illis eripere et huic dare conatus est. Horum vero sententiae minime fluxerunt ex artium praeceptis; sed praepotenti Aeschylearum et Sophoclearum fabularum vi illi, quorum voluntatibus et studiis obsecutus Eur. novam viam ingressus erat, ita commoti erant, ut, quamvis novis rebus delectarentur, tamen horum principatum minime imminuerent. Quaeritur autem, quanti Euripidea tragoedia aestimata sit a criticis veterum judicibus. Inter quos primum locum obtinet meritoque κριτικώτατος vocatur Aristoteles, qui primus poesim et maxime tragoediam ad artem et ad praecepta revocavit in libro, quem scripsit περὶ ποιητικῆς. Etsi libellus ille imperfectus et lacunosus est, quamobrem a doctissimis viris summarium copiosioris libri habetur, tamen tragoediae natura pulchre ex eo cognosci potest adeo, ut summus noster artium existimator et judex[1]) non dubitet profiteri, certissima atque verissima in eo inesse tragoediae praecepta. In quo libello quum Stagirites laudator Euripidis exstitisse videatur, operae pretium est investigare, quatenus ille poeta in fabulis suis satisfecerit praeceptis a primario existimatore traditis: quo consilio Hecubae, qua nulla Euripidearum fabularum in magis diversas et magis contrarias aestimationes venit, censuram ex illis praeceptis opinione non praejudicata instituere in animo est.

Ex generali, quam Arist. (Poet. VI. 2. ed. Herm.) ponit, tragoediae definitione, ad qualitatem imitationis (ποιότητα) spectans partes tragoediae eruit sex, quae sunt: μῦθος fabula, ἤθη mores, λέξις

[1]) Lessingius in libro, qui inscribitur: Hamburgische Dramaturgie; Cap. 101 — 104.

dictio, *διάνοια* sententiae, *ὄψις* scenicus apparatus, *μελοποιΐα* modulatio. Primarium autem locum tribuit fabulae, quam h. l. intelligi vult factorum compositionem. Hanc justissime dicit tragoediae finem et fundamentum (*ἀρχήν*). Tragoedia enim est actionis imitatio spectantibus movens metum et miserationem; hi autem affectus nituntur malis, quae solis moribus perfici non possunt, sed pendent ex factis. Qua in re philosophus minime negligit, facta plerumque artissime cohaerere cum moribus, quos ob eam rem proximo in loco ponit. Tertium locum obtinent sententiae, quae et ipsae plerumque actionis causae sunt. Quartus locus tribuitur dictioni s. elocutioni per vocabula, qua poesis ab aliis artibus differt. Perspicue phil. addit, dictionem eandem vim habere et in soluta oratione et in vincta, ut alio quoque loco (Poet. I. 7. sqq.) non in metro sed in imitatione positam esse dicit naturam poesis. Quintum locum obtinet modulatio, quod summum tragoediae condimentum est. Ultimo demum in loco ponitur scenicus apparatus, quamquam hic eo quod imitationem tragicam agendo fieri demonstrat, tragoediam ab omnibus aliis poesis generibus discernit ob eamque rem necessaria pars esse videtur. Qua in re phil. justissime aliam esse vult artem poetae, aliam actoris. Scenicus enim apparatus, quamquam multum valet ad animos alliciendos, tamen non ex poesis natura fluit, verum adventicium quiddam est. Nasci quidem possunt e spectatione quoque metus et miserationis affectus; at optimi poetae ipsa factorum compositione eos excitant. Itaque tragoediae vim etiam sine actoribus integram constare atque metum et miserationem non minus legentibus moveri oportet, quam spectantibus. (cf. Poet. VI. 28. XIV. 2. XXVII. 8.)

Accedamus ad gravissimam tragoediae partem, ad fabulam s. factorum compositionem; quae quum pendeat ex actione, quam tragoedia imitatur, simpliciter *actio* nominari potest. De qua Arist. primum statuit (Poet. VII. 2.), ut sit perfecta et integra i. e. ut habeat initium et medium et finem. Itaque, id quod ipse haec verba definiens addit, neque undelibet initium neque ubivis finem capere fabulam oportet, verum ordiri a certa quadam re, quae non necessario ex aliis antecedentibus rebus orta ipsa pariat alia facta, et deduci usque ad eam rem, ex qua non necessario alia facta oriantur. Antigonae Sophocleae e. g. initium fit, ex quo Antigone consilium capit, Creontis edictum negligere et justa solvere fraterno funeri. Quod consilium non necessario ex illo edicto fluit; nam obtemperare potuit Antigone avunculi imperio; sed oriatur ex eo necesse est pernicies si non complurium hominum, at certe virginis ipsius. In Oedipi Regis fine miserrimus ille rex, postquam luminibus se orbavit, e regno suo emigraturus est, quam ad rem necessario adducitur immanibus malis divinitus sibi immissis. Ex quo facto non necesse est fluant dissensio et bellum inter filios ortum et quaecumque alia postea fiunt; sed haec omnia efficiuntur filiorum indole atque natura. Medio autem continetur progressus rerum, quae ab illo initio originem ducentes illum necessarium finem efficiant. Quas res aptissime inter se cohaerere necesse est; id quod philosophum ducit ad unitatem fabulae s. actionis, quae maximam inter criticos et interpretes movit dissensionem. Perspicue Arist. (Poet. VIII. 1.) dicit, unitatem actionis intelligendam non esse agentis unitatem; uni enim homini multa posse accidere, quae inter se minime cohaereant. Ex iis, quae paulo infra (Poet. VIII. 4.) legimus, apparet, qualem phil. intellexerit actionis unitatem. Omnes enim actionis partes ita inter se conjunctas esse vult, ut, si qua auferatur vel transponatur, totum perturbetur; omnia facta inter se ita cohaerere, ut intelligamus, necesse aut veri simillimum esse, ex re antecedente id ipsum, quod sequatur, fieri, non aliud quid. Itaque unitatem actionis intelligendam esse perspicimus factorum continuitatem vel perpetuitatem. Qua re efficitur inter poetam et rerum scriptorem differentia, cujus paulo infra (Poet. IX. 1.) mentio fit. Rerum enim scriptor narrat ea, quae re vera facta sunt; poeta autem narrat ea, quae fieri verisimile vel necessarium est, non laborans, ut fabulas antiquitus traditas immutatas retineat neve narret nisi quae re vera facta sint, verum fabulas ad suum usum commutans

et ipse novas quoque fingens, dummodo sint probabiles. Actionis unitatem Sulzerus[2]) pulchro illustrat exemplo. Effici enim dicit illam partium conjunctione ea, quae nos impediat, quominus unam partem putemus totum quiddam. Permultis e. g. vasis in una tabula collocatis non formari unitatem, quum quodvis eorum solum totum quiddam efficiat; horologii vero rotulas ceterasque particulas ita inter se junctas esse, ut quaevis necessaria quidem totius pars sit, sola autem totum quiddam efficere non possit; itaque omnibus inter se junctis formari unitatem. Causam unitatis positam esse in natura rei cujusvis, quum, si ulla pars absit, tota natura immutetur. Liceat h. l. Solgeri[3]) quoque de hac re judicium paucis afferre. Qui omnes res fortuitas adventiciasque ab arte tragica removens actionem in continua et necessaria causarum et effectuum serie procedere vult; quin etiam primum initium e casu vel e solo hominis consilio fluere vetans praecipit, ut humana voluntas et impetus desuper injectus in initio ita commisceantur, ut discerni non possint. Concedendum quidem est, id initium neque repugnare Aristoteleae initii definitioni, et multum pulchritudinis tribuere tragoediae; sed deducimur ea re ad contentionem illam necessitatis et libertatis, qua omnem actionem tragoediae contineri nonnulli viri doctt. docent, cujus mentionem phil. facit nullam. Summi vero critici, quamvis inter se consentiant de natura illius unitatis, tamen singularum fabularum actiones illis praeceptis metientes valde inter se dissentiunt, id quod infra cognoscere licebit.

Tragoedia ut metum et miserationem spectatorum movere possit, repraesentare debet mala resque adversas. At sola haec non sufficiunt philosopho ad perficiendam tragoediam; nam, ut ex Poet. VII. 12. apparet, in omni tragoedia esse vult fortunae commutationem (μετάβασιν), aut rerum adversarum in secundas aut secundarum in adversas. Cujus commutationis varios proponit modos (Poet. XIII. 12. sqq.), e quibus tres plane vituperat. Primum, quem esse vult, si vir justus e secundis rebus conjiciatur in adversas, improbat, quod id nec miserandum nec metuendum, sed tetrum (μιαρόν) sit. Neque minus improbat alterum modum, si homo improbus ex adversis rebus secundam consequatur fortunam; hoc enim minime tragicum esse dicit, quod neque humanitatis sensum tangat neque metum miserationemve moveat. Vituperandum tertium quoque modum putat, in quo homo improbus ex secunda fortuna incidat in adversam; nam hoc humanitatis quidem sensum tangere posse, verum nec metum nec miserationem movere, quod ille ad similem nostri, haec ad immeritum quendam spectet. Recte quidem Hermannus dicit, philosophum unum modum omnino omisisse, qui sit, si vir probus ex adversis rebus secundam consequatur fortunam. Quem modum pariter ab illo improbatum eamque ob rem plane neglectum esse, cognoscimus ex iis, quae paulo infra (Poet. XIII. 6.) legimus: ἀνάγκη τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυςτυχίας, ἀλλὰ τοὐναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν. Felicem igitur exitum phil. prorsus a tragoedia removet et ad comoediam rejicit. Neque aliam ob causam Euripidem τραγικώτατον, maxime tragicum inter poetas dicit, nisi quod hic in plurimis tragoediis illi praecepto optime satisfacit. Cujus laudis vim ne quis justo latius patere velit, ipse circumcidit dicens: εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ. Cave vero verba τὰ ἄλλα transferas verbo *alia*, id quod placuit Hartungo, qui[4]) (E. r. II. p. 369) illis verbis orationes tantum et sententiarum abundantiam a philosopho vituperari judicat. At quomodo id consentiat cum aliis artis poeticae locis, quibus Arist. compositionem Euripidearum fabularum perspicue vituperat, ut XV. 7, XVIII. 21? Optimam vero fortunae commutationem phil. dicit eam, in qua homo, qui non excellat virtute vel justitia, verum auctoritate et rebus secundis floreat, in mala incidat idque non per malitiam vel turpitudinem, sed per humanum aliquem errorem.

---

[2]) In libro, qui inscribitur: Allgemeine Theorie der schönen Künste; in voce: Einheit.
[3]) In commentatione de Sophocle et vetere tragoedia scripta. (Nachgelassene Schriften Bd. II).
[4]) Hartungi Euripides restitutus s. scriptorum Euripidis ingeniique censura.

Hominem autem non excellentem virtute vel justitia apertissime intelligit eum, cujus mala non justissimae atque meritissimae poenae pro commissis delictis judicandae sint. Hanc igitur fortunae commutationem maxime idoneam esse putat ad commovendos metus et miserationis affectus. Atque re vera tragici illi affectus, qui nobis injiciuntur, quum homines nostri similes vel nobis sublimiores malis obrui videmus, eo majorem vim habere debent, si antecedentem quoque illorum auctoritatem et felicitatem aspicimus, si immeritos eos et per errorem aliquem in mala cadere videmus.

Ex actionis compositione Arist. fabulas partitur in simplices et implicatas (Poet. X. 1. sqq.). Simplicem (ἁπλῆν) actionem dicit eam, in qua fortunae commutatio fiat sine inopinato casu (περιπέτεια) et sine agnitione (ἀναγνώρισις).[5]) Simplicium fabularum deterrimas esse putat τὰς ἐπεισοδιώδεις i. e. eas quae multa habeant ἐπεισόδια i. e. partes non ex actionis compositione fluentes. Implicatam vero (πεπλεγμένην) actionem dicit eam, in qua fortunae commutatio fiat per agnitionem vel per inopinatum casum vel per utrumque. Vehementer errat Hartungus, qui (E. r. II. p. 404) non distinguit implicatam actionem a duplici. Phil. enim etsi simplicem actionem opponit et implicatae et duplici (Poet. XIII. 2. et 6.), tamen utroque loco vocabulo ἁπλοῦς aliam subjicit sententiam, id quod eo jam apparet, quod altero loco implicatam, altero simplicem fabulam potiorem esse putat. Priore loco ἁπλῆ fabula spectat ad simplicem, quam modo diximus, actionis compositionem, quae neque inopinatum casum neque agnitionem habet eamque ob rem opponitur implicatae. Posteriore vero loco μῦθος ἁπλοῦς spectat ad fortunam unius ejus, qui primas partes agit, eique opponitur μῦθος διπλοῦς, in quo etiam fortuna aliorum, qui illi oppositi sunt, ad exitum pervenit.

In omnibus fabulis sive simplicibus sive implicatis inesse oportet πάθος s. malum atrox, quod Arist. (Poet. XI. 10.) ita definit: πάθος ἐστὶ πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρά· οἷον οἵ τε ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι καὶ αἱ περιωδυνίαι καὶ τρώσεις καὶ ὅσα τοιαῦτα. Mala omnibus tragoediis necessaria esse phil. putat, id quod eo jam apparet, quod metum et miserationem tragoedia commoveri vult. Mala vero modo vehementia modo lenia esse possunt. Atque plurimum metus et miserationis movent vehementia mala, quam ob rem fabulae, in quibus ea repraesentantur, παθητικαὶ s. atroces dicuntur. Verum necesse non est, atrocia illa facinora in conspectu poni, sed extra fabulam quoque fieri et in scena commemorari possunt, ut in Oed. R. Multum autem atrocitatis amittunt, si fiunt inter homines nulla necessitudine conjunctos vel inter inimicos. In optimis igitur tragoediis fiant oportet inter amicos vel consanguineos. Παθητικαῖς tragoediis, quae totae in malorum repraesentatione versantur, ab Aristotele opponuntur ἠθικαί, in quibus spectatorum animi non tam factorum compositione vel atrocibus malis, quam agentium moribus tenentur. Quod genus philosophum parum artificiosum putasse, apparet ex Poet. VI. 19., ubi dicit, tirones poetas prius proficere in dictione et in morum descriptione, quam in factorum compositione. Ceterum de morato tragoediarum genere diserte atque accurate non disputat.

Jam vero videamus, quomodo Hecuba Euripidea iis, quae phil. de actione statuit, satisfaciat. De actionis hujus fabulae unitate magna est criticorum dissensio. Duas quidem in fabula inesse partes nemo non intelligit; controversia autem est in illo, utrum hae partes artissime inter se conjunctae sint atque totum quiddam efficiant necne. Priusquam vero, quid ipsi de hac re sentiamus, explanamus, nonnulla recentiorum criticorum de Hecubae actione judicia afferre atque percensere liceat. Jacobsius[6]) Euripidis tragoediam in historicum poema degenerasse censet, dicens, poetam substituta in locum dramaticae compositionis historica s. epica singulas res plerumque non connexuisse nisi persona, saepenumero hoc quoque vinculo repudiato non alium contextum curasse nisi fortuitam loci et temporis unitatem; in Hec. e. g. nullum omnino exstare vinculum interius. Qua luxuriosa factorum coacervatione

[5]) De inopinato casu cf. Poet. XI. 1. IX. 2., de agnitione Poet. XI. 4. sq.

[6]) In commentatione de Eur., quae inest in additamentis ad Sulzeri librum supra citatum.

amitti pulchram unitatem. Ellendtius[7]) quoque in disponendo argumento Hecubae id vitii inesse dicit, quod, una actione non sufficere visa, altera cum priore nullo modo conjuncta addatur, exteriorem illam duarum actionum conjunctionem brevitatis remedium esse putans. Vehementissimus vero atque immoderatus Euripidis vituperator exstat Gruppius,[8]) qui ut omnes fere ejus tragoedias vitiis compositionis refertas esse judicat, sic in Hec. quoque justam desiderat unitatem. Concedit quidem ille (l. c. p. 371. sq.), Polydori mortem aliquo modo cum utraque fabulae parte cohaerere, quum et mala immolatione Polyxenae matri illata summe augeat et viam patefaciat ad poenas a Polymestore repetendas; ita vero eam cum duabus illis partibus cohaerere negat, ut eas connectat. At lustremus ea quoque, quae in contrariam partem disputarunt Euripidis defensores. Raumerus[9]) dicit, potuisse post Talthybii narrationem tragoediam terminari, non debuisse; Hecubae enim mala augeri potuisse et Polydori mortem cum iis ita conjunctam esse, ut nullo modo addi possit, nisi illo ipso tempore et illo ipso loco. Attamen nemo Euripidem vituperat, quod in unam fabulam actiones contulerit duas, verum quod eas male vel potius minime conjunxit neque duas illas connexuit in unam, quod alteram actionem tractavit post alteram neque ullum interiorem transitum ex una in alteram finxit. Affert quidem Raumerus causas, quamobrem poeta tragoediam post Talthybii narrationem non finierit, verum longius produxerit, at minime probabiles. Dicit enim, tragoediam ibi terminatam ***Polyxenam,*** non ***Hecubam*** fuisse nominandam. Dedisset quidem Eur. fabulae nomen Polyxenae, si priorem tantum partem tractasset; atqui nomen, quod tragoediae impositurus erat, minime eum adducere poterat, ut ad priorem partem aliam actionem ad Hecubam spectantem adderet. Quodsi Raumerus necessariam tragoediae longitudinem inter illas causas profert, vix est, quod minus gratum facere potuerit Euripidi. Namque ex simplici et tenui facto tragoediam componere summi ingenii est, imbecilli vero, multa requirere facta. Quod Raumerus denique Hecubae actionem comparat cum Raphaeli ***transfiguratione,*** cujus picturae partes duae eodem modo inter se cohaereant, contra dicendum est, illius picturae compositionem ab artium existimatoribus, ut a Sulzero, ut vitiosam denotatam esse. Pari modo Pflugkius[10]) quoque Euripidem de duabus illis actionibus purgare conatus est. „Actiones, inquit, quas dixi duas, conjungi necesse fuit, aut si conjungi sine vitio non possent, totum argumentum relinquendum.“ At id ipsum in dubium vocatur, num illae actiones „ita sint comprehensae, ut ad unum eundemque finem conspirent.“ Ad personam quidem unam eandemque spectant; at si uni homini primum hoc, deinde illud accidit, duo vero haec facta interiore vinculo connexa non sunt, numquid dicemus, ea ad unum eundemque finem conspirare? At pergit Pflugkius ita: „Quid est enim, cur desideretur in tragoedia unitas actionis? nisi quod conjunctis quae aut singula aptam tragoediae materiam praeberent, aut aliquid saltem haberent, quod longius evagaretur et exuberaret quodammodo, fieri non potest, quin absoluta una parte et consumptis metus ac miserationis affectibus, ad reliqua minuatur attentio et languescat studium spectandi.“ Atqui effici potest ex utraque Hecubae parte tragoedia, id quod probatur Polyxena Sophoclea, cujus fabulae argumentum cum priore Hecubae parte plane congruit. Meram vero calamitatem aptam tragoediae materiam non esse, neque e natura tragoediae neque exemplis probari potest. Nec magis concedendum est, posteriore parte spectatorum animos mitigari et ex acerbissimo dolore ad spem rursus et fiduciam convalescere. Juste enim Gruppius neque in nuncio de Polydori morte allato neque in crudelissimis poenis a Polymestore repetitis mitigationem inesse dicit, quod nuncio illo mala Hecubae augeantur, poenae vero tetriores sint,

[7]) in dissertatione de prologis tragoediae Graecae p. 28.

[8]) in libro, qui inscribitur: Ariadne.

[9]) in annotationibus ad Euripidem, quae additae sunt ad ejusdem librum, qui inscribitur: Vorlesungen über alte Geschichte.

[10]) in prooemio Hecubae p. 8.

quam quae offensos spectatorum animos placare possint. Immo vero etiam ea quae Talthybius de admirabili et praeclara in ipsa morte fortitudine Polyxenae narrat, maxime idonea esse judicamus ad solatium Hecubae praebendum atque ad spectatorum animos mitigandos. Ceterum inter summos criticos constat, priorem Hecubae partem multis ac magnis virtutibus antecellere posteriori, id quod ipse Raumerus concedit. Quae quum ita sint, intelligi non potest, quomodo in posteriore parte studium spectandi non languescat. Quid quod ipse Pflugkius non facere potest, quin id quodammodo concedat? Paulo enim infra dicit, ne post Talthybii narrationem justo citius deficeret exspectatio, prologo cautum esse, in quo praemonitum sit, nostram fabulam praeter Polyxenae immolationem etiam aliud quid complecti. Spectatores igitur nihil amplius exspectaturos fuisse judicat v. d., nisi prologus alteram partem praenunciasset. Neque in eo consentiendum putamus cum Pflugkio, quod dicit, detracta alterutra parte fabulam imperfectam fore. Namque absoluta priore parte nihil desideratur, nisi necessaria tragoediae longitudo, quam ex poetae ingenio, non ex argumento pendere diximus. Transeamus jam ad Hartungum, vehementissimum Euripidis propugnatorem. Qui Euripidearum fabularum compositionem reprehensionem cepisse dicit eorum tantum, „qui male fieri, quidquid aliter fieret atque Aesch. aut Soph. fecissent, sibi persuaserint.“ At plurimi atque doctissimi Euripidis vituperatores probe intelligunt, poetam nostrum neque temere neque ex ingenii egestate degenerasse a natura Aeschyleae vel Sophocleae tragoediae, verum aetatis suae moribus atque voluntati indulgentem; quamobrem in multis aliis rebus eum debitis ornant laudibus. Neque immerito a doctissimo quodam viro [11]) ille vocatur *Alcibiades tragicus*, amplissimus quidem, sed degener Camenae tragicae alumnus. At quae Hartungus dixit veremur ne recidant in ipsum. Qui Euripidem ab omnibus etsi justissimis reprehensionibus expedire summisque laudibus efferre conatus persaepe injustissimum et iniquissimum se praestat adversus Aesch., Soph., Aristoph. Ut e plurimis unum afferam exemplum, Sophoclis carmina exiguam ad mores conformandos, ad acuenda ingenia, ad artium studia excitanda vim habere affirmat. Quid quod Aristophanem hominem omnibus sui saeculi vitiis inquinatissimum dicit (E. r. I. p. 381.)? Recentioribus vero criticis iis, qui vitium aliquod Euripidearum fabularum quamvis levissimum vituperarunt, injurias infert multo majores, illustrissima atque celebratissima nomina conviciis atque maledictis obruens (Cf. I. p. 520. 530.). Forsitan satis sit hos locos, qui nobis occurrunt sexcenti, legere, ut cognoscamus, qualis sit Hartungi censura. Sed lustremus ea, quae de actionis unitate nostrae fabulae ille profert. Primum dicit (I. p. 508.), scitissime ab Eur. consociatas et ad unius dramatis fines angustissimos revocatas esse res locis temporibusque separatas. At scitissimam illam consociationem argumentis confirmare tantopere negligit, ut alius quis suo jure dicere possit, revocatas quidem esse res in unius dramatis fines, non tamen consociatas scitissime, sed exteriore tantum vinculo leviter conjunctas. Alio loco (I. p. 531.) alteram Hecubae partem omissa priore commode exhiberi potuisse negat. „Nam quis, inquit, Hecubam ferret hosti oculos eruentem, nisi antea malis afflictatam, doloribus exacerbatam, hostium amicorumque injuriis lacessitam non fando audisset, sed coram oculis spectasset?“ At nemo utramque Hecubae partem per se jam perfectam tragoediam esse censuit; verum effici potest ex utraque parte perfecta tragoedia. Atque fieri potest, ut in tragoedia, quae in supplicio de Polymestore sumpto versatur, Polydori quoque nex tractetur; minime autem id fieri necesse est. Namque et Aesch. ex scelere et ex supplicio duas confecit tragoedias easque pulcherrimas et Soph. in Electra omisso facinore poenas tantum ab Aegistho et Clytaemnestra repetitas tractavit. Tum Hermannum refellere conatus ille sententias hujus viri nimis argute ad suum usum accommodat. Hermanni enim verba haec sunt: „Si Hecubam eo miseram ostendere voluit poeta quod plurima ei

[11]) cf. Grupp. l. c. p. 753.

mala accidissent, cur solos conjunxit Polydorum et Polyxenam, quibus illa orbaretur, quum eodem jure etiam tot alios filios et universum urbis excidium adnectere potuerit?" Ad quae Hart: „Omnium liberorum interitum cum universo urbis excidio si Eur. repraesentasset, se ait probaturum vir sagacissimus." At quantum absit, ut vir illustr. talem fabulam propter solam factorum multitudinem comprobaverit, nemo non intelliget, qui in commentatione [12]) ejus legerit, et laudem et vituperationem semper pendere ex factorum conjunctione aut apta aut inepta. Cetera quae de pulchra duarum partium concordia dicit, ut vera sint, minime tamen refellere possunt, quod Euripidi vitio datur, partes inter se minime conjunctas esse et, quales nunc sint, tollere actionis unitatem. Namque unum id, quod contra haec profert, si rem leviter oculis percurrimus, permagni momenti esse videtur, sed re vera minime illi sententiae repugnat. Totam enim fabulam Hecubam ab Aristot. laudatam esse dicit Hart. Philosophi autem verba haec sunt (Poet. XVIII. 17.): *ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν, καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥσπερ Εὐριπίδης Ἑκάβην, ἢ ὥσπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται.* Primum quidem dubitandum est, verene haec Aristotelea sint an subditicia verba. Gruppius enim praeter alia argumenta, quibus nonnullos Aristoteleae artis poeticae locos subditicios esse probat (l. c. p. 552. sqq.), ea quoque re nititur, quod Arist. fabulas exempli causa proferens semper usus sit articulo, scholiastarum vero consuetudo sit, articulum omittere. Nec negari potest, veteres interpretes et scholiastas perfacile adduci potuisse, ut suo arbitratu exempla adderent. Ut vero Arist. ipse illo loco exempla proposuerit, tamen in libris scriptis invenitur *Νιόβην*, non *Ἑκάβην*, quae lectio orta est conjectura recentiorum interpretum, quum a nullo alio veterum scriptorum nobis traditum sit, Euripidem fabulam ***Nioben*** scripsisse. Ut Arist. denique scripserit *Ἑκάβην*, quid aliud phil. illis verbis monet, quam ut permagna materia, velut excidium Trojae, non tota redigatur in unam fabulam, verum potius per partes in compluribus tragoediis tractetur, id quod e. g. factum sit in Hec. Eur. Quantum vero abest, ut illis verbis summa totius fabulae atque compositionis contineatur laus! Itaque Hart., quem de scriptis Euripidis optime meritum esse libentissimo animo profitemur, iis, quae de actione Hecubae in medium protulit, ad suam causam nos perducere nobisque persuadere nequit, Aristotelis de unitate praescripta in nostra fabula non esse neglecta. Facere enim non possumus, quin judicemus, duas illas, quae in Hec. insunt partes, interiore vinculo inter se conjunctas non esse. In utraque quidem parte primas partes agit Hecuba; in altera enim regina orbatur Polyxena, quae omnium ejus filiarum sola reliqua est, conserva sua, in altera ulciscitur Polydorum, qui filiorum ejus solus tela Achivorum subterfugerat, per dolum vero occisus erat ab homine amicissimo. Sed eo quod actionis partes ad unam eandemque personam spectent, minime effici actionis unitatem supra cognovimus. Aliud vero vinculum duas illas partes connectens in fabula nostra desideramus neque exstat interior ex una parte in alteram transitus. Nam quod famula ad afferendam aquam marinam missa Polydori corpus in litus projectum invenit, adventicius tantum neque necessarius transitus putandus est. Prologum autem, in quo Polydori umbra dicit, matrem uno illo die orbatum iri duobus liberis, qua de causa post Polyxenam immolatam nuncium Polydori trucidati exspectamus, cum tragoediae actione minime cohaerere infra declarabitur. Nihil igitur obstat, quominus post priorem partem, post immolatam Polyxenam, tragoedia finem capiat. Talthybius matri mortem filiae depinxit, Hec. ad funus ei faciendum aggreditur: quo facto secundos ventos oriri et Graecos navigationem parare oportuit; is justus atque verus fabulae finis fuit. Ita fuisset, quod venti adversi repente verterentur in secundos. Statuendum enim est, Graecis naves a Troade solventibus non sine causa ventos adversos ortos, verum motos esse iratis Achillis manibus;

---

[12]) Hermanni de tragica et epica poesi commentatio, quae addita est ad Aristoteleae artis poeticae editionem Hermannianam.

id quod apparet ex similitudine nostrae fabulae cum Iph. Aulid.[13]) et probatur etiam Neoptolemi precatione (v. 542. sqq.): πρευμενὴς δ' ἡμῖν γενοῦ, — λῦσαί τε πρύμνας, καὶ χαλινωτήρια — νεῶν δὸς ἡμῖν. Itaque immolata Polyxena manibusque Achilleis placatis statim ventos verti oportuit. In nostra autem fabula Neoptolemi preces nihil proficiunt, quum venti permaneant adversi et Graecorum navigationi longiorem afferant moram idque eo tantum consilio, ut Agamemno Hecubae ultioni favere possit (cf. v. 892. sqq.), qua feliciter peracta ex inopinato venti oriuntur secundi. Hanc repentinam ventorum conversionem minime ex actionis compositione fluere, verum adventiciam esse, nemo non intelliget. In actionis igitur unitate nostram fabulam praescriptis Aristoteleis satisfacere negandum esse judicamus.

Secundum actionis compositionem Hec. in numero simplicium fabularum habenda est; neque enim agnitio in ea inest neque inopinata rerum conversio, verum tota actio vel potius duae illae actiones placido tenore progrediuntur. In deterrimas vero simplicis generis tragoedias, ἐπεισοδιώδεις dico, referenda non est; nam praeterquam quod duae illae partes interiore vinculo conjunctae non sunt, utriusque partis ἐπεισόδια ex actionis compositione fluunt. Μετάβασις in nostrae fabulae priore parte posita non est in commutatione rerum secundarum in adversas, verum in crescentibus rebus adversis. Hecuba enim jam non fortunata regina opulentissimae civitatis, sed malis abunde affecta est. Trojam, urbem nobilissimam, dirutam, conjugem omnesque fere liberos Achivorum ferro trucidatos vidit, ipsa jam in servitutem abducitur. Permagno autem ei est solatio, quod Polyxena filia ejus conserva est; id servitutis incommoda ex parte lenivit et jam ipsa gravem suam fortunam aequo fert animo. Qui rerum status ei quodammodo satis prosper videri potest ad mala ei jam imminentia. Tum, Polyxena abrepta, omni solatio illa orbatur. Haec prioris partis μετάβασις, quae, quum Hec., justa illa et proba mulier, in mala injiciatur, primo illorum, quos Aristoteles proposuit, μεταβάσεως modorum adnumeranda est, multum distat ab illa commutatione, quam Arist. ut optimam comprobat. Neque enim pristina Hecubae felicitas in conspectum nostrum venit neque per suum aliquem errorem incidit in mala, verum ex aliorum hominum voluntate. In posteriore vero parte si Polymestor primas partes ageret, μετάβασις, quum improbissimus ille homo ex secundis rebus conjiciatur in adversas, tertio modo adnumeranda esset. Sed quum Eur. totam fabulam in Hecubae malis versari velit, hanc etiam primas partes agere oportet. Hecuba, cujus mala ad summa creverunt, quum Polydoro filio, in quo uno omnis spes Trojani regni instaurandi posita erat, per hospitem suum orbata sit, tristissimam suam fortunam nisi crudelissimis suppliciis de homicida sumendis tolerabilem fieri non posse arbitrata, furore inflammata persequitur ultionem, quae bene procedens reginae animum quodammodo mitigat. Hujus igitur partis μετάβασις posita est in commutatione rerum adversarum si minus in secundas, tamen in condicionem tolerabiliorem; itaque forsitan adnumeranda sit illi modo, qui ab Arist. omnino neglectus est.

Quodsi spectamus ad πάθος, fabula nostra referenda est in numerum earum quas phil. dicit παθητικάς, quum in ea atrocia et vehementia mala repraesententur. Immolationem virginis innocentissimae per se atrocem esse negari quidem nequit; in Hec. vero Polyxenae immolatio atrocitatis aliquid amittit, quum non fiat per amicos, verum per hostes (cf. Poet. XIV. 7.). Plus autem atrocitatis habet nex Polydori, qui trucidatur a Polymestore, homine gentilitate et hospitio secum conjuncto. Supplicium denique de Polymestore sumptum plus foeditatis quam atrocitatis haberet, si ille primas partes ageret. Namque improbus iste homo quamvis summo cruciatu afficiatur idque per Hecubam, mulierem amicitia secum conjunctam, tamen, quum justissimas solvat poenas pro facinore nefarie a se perpetrato, misera-

[13]) cf. de hac re Firnhaberi de Euripidis Hecuba, Troadibus, Iphigenia Aulidensi commentatio, quae inest in Welckeri mus. Rhen. ord. rec. Tom. I.

tionem nostram commovere non potest. Sed quum, ut supra diximus, Hecuba, non Polymestor, primas partes agat, in illam omnis dirigitur miseratio spectatorum, quorum exspectationi atque voluntatibus satis fit suppliciis illis meritissimis, etsi crudelissimis.

Aggrediamur jam ad alteram tragoediae partem, ad morum descriptionem. Capite XV., quo Arist. de moribus describendis praecepta dat, primum statuit, ut honesti sint. Eo jam loco, quo de commutatione fortunae disputat, statuit, ut persona primas partes agens si minus probitate et virtute excellens, tamen talis sit, ut mediocritatem teneat inter hominem omnino probum et omnino pravum, aut propius accedat ad probitatem quam ad pravitatem (Poet. XIII. 5. sq.). Etsi negari nequit, philosophum hoc praeceptum in reliquas quoque tragoediae personas translatum voluisse, quum (Poet. II. 7.) statuat, ut tragoedia meliores quam nunc sint homines imitari studeat, tamen putandum non est, eum pravos mores prorsus a tragoedia exclusisse; id quod ex alio loco (Poet. XVIII. 19.) apparet, ubi eam tragoediam comprobat, in qua homo prudens idemque improbus circumveniatur vel vir fortis idemque injustus vincatur. Qui locus idem nos docet, quomodo Arist. morum pravitatem cum fundamento tragoediae, imitatione bonorum, concordare voluerit. Statuit enim ille, ut poeta, qui hominem pravitate aliqua affectum repraesentet, alias quasdam ejusdem hominis virtutes perspicue ostendat, quae illam pravitatem quodammodo obumbrare videantur. Deinde statuit Arist., ut mores sint apti, ut personae cuique ii tribuantur mores, qui ei conveniant. Habenda igitur est in moribus describendis ratio aetatis, sexus, dignitatis, fortunarum, ne e. g. juveni tribuatur natura senilis neve mulieri natura virilis. Fieri quidem potest, ut poeta auctoritatem fabulae antiquitus traditae secutus ab hoc Aristotelis praecepto discedere cogatur, sicut Horatius in ep. ad Pis. praecipit, ut „sit Medea ferox invictaque," quamquam animus ferox et invictus minime mulieris est. Quae si ita sunt, mores saltem quantum fieri potest apti comparari debent, ut in Medeis quoque non prorsus recedat ingenium muliebre. Tum Arist. postulat, ut mores sint veri similes. Ernestius[14]) his verbis (*τρίτον δὲ τὸ ὅμοιον*) praescriptum esse judicat, ut „mores personarum temporibus suis sint accommodati." Sed quum non sit, cur id non contineatur altero praecepto, (ut mores sint apti,) haec verba latius patere judicamus, ad quam rem explanandam alius adhibendus est locus (Poet. XIV. 10.), ubi phil. dicit, poetae non licere receptas fabulas dissolvere. Neque enim magis licet poetae in morum descriptione discedere a fabulis antiquitus traditis. Denique statuit Arist., ut mores aequabiles sint et sibi constent; id quod non obstat, quominus etiam homo inconstans et mutabilis fingatur, modo ipsa haec inconstantia ita constanter per totam tragoediam retineatur, ut aequabilis inconstantia illam, quae requiritur, morum constantiam efficiat.

Euripidi jam a veterum scriptoribus, imprimis ab Aristoph., vitio datum est, quod personas temporum heroicorum ad aequalium suorum modum finxisset itaque quodammodo a cothurno recedens propius accessisset ad soccum. Soph. ipse se comparans cum Eur. dicit, *αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοί εἰσιν.* Quod dictum Arist. memoriae prodidit (Poet. XXVI. 11.). Eo enim loco, quo phil. de rebus, in quibus poetae peccare possint, disputat, poetam reprehendi quidem posse dicit, quod non vera finxerit, verum eam reprehensionem tolli, si finxerit, qualia esse oporteret; tum Sophoclis illud addit. Quod nisi verum esse judicasset, aut refutasset aut omnino non attulisset. Itaque Arist. ab illa Euripidis vituperatione non abhorruisse putandus est. Quodsi Eur. heroas ad suae aetatis naturam vocat eorumque mores non ad illorum tempora, verum ad suam aetatem accommodat, apertissime peccat in altero Aristotelis praecepto, ut mores sint apti. Quamvis aequales vehementer ei plauserint, quod magnum discrimen, quod inter eorum aetatem et tempora heroica intererat, tolleret quodque heroas induceret tales, quales ipsi essent, tamen id justissime ei vitio datur, si ratio habetur

[14]) Ernestii lexicon technologiae Graecorum rhetoricae p. 229.

artis. Actionis enim nobilitas, quam Arist. tragoediae necessariam esse affirmat, contenta non est hominibus quotidianis nobilia nomina prae se ferentibus, verum postulat, ut personae vere sint nobiles ac sublimes. Hartungus quidem (E. r. I. p. 379.) illud non vitium esse judicat, verum optime institutum ab Eur., „cujus carminibus multo citius latiusque, quam disserendo potuerit, philosophia, quae de vita et moribus, de rebus bonis malisque quaerat, divulgata sit.“ Etsi concedendum est, inde peti posse causas Euripideae morum descriptionis, tamen neque ab Aristot. neque ab ullo unquam alio artium judice praescribitur, ut tragoedia praecepta philosophiae moralis pervulget.

Omittentes vero ea quae in universum Eur. in describendis moribus peccavit, perspiciamus jam, quomodo praeterea mores in nostra fabula congruant cum Aristoteleis praescriptis. In Hecubae moribus neglecta illa non sunt. Verum quidem est, quod Schlegelius [15]) dicit, Hecubam, quae primum anus imbecilla senioque confecta appareat, ad postremum in persequenda ultione permagnam prae se ferre animi praesentiam. Nec tamen eam ob causam poeta in vituperationem descriptionis morum non aequabilis incidit; namque illa mutatio optime fluit ex fabulae compositione. Ita enim fert hominis natura, ut animus mali aliquid praesentiens neque certo sciens anxius atque trepidus pendeat, obortis vero jam malis etsi durissimis omnes vires colligat. Sic Hec. quoque, dum nocturnis somniorum visis perterrita mala sibi liberisque suis imminentia suspicatur, cum lamentationibus deos precatur, ut averruncent futura mala. Postquam duorum liberorum nex, qua majus duriusve malum accidere ei non poterat, omnem spem ejus plane exstinxit, ipsa praesenti atque forti animo aggreditur ad poenas a Polymestore repetendas. Accedit quod non repente atque raptim ex anu imbecilla atque fracta fit leaena catulis orbata, verum mutatio illa sensim atque gradatim fit et optime pendet ex actionis progressu. Primum quidem reginam senio confectam et baculo humerisque famularum innixam e tentorio progredientem videmus; diris insomniis vexata angoribus conficitur et consilii auxiliique inops effundit lamentationes et precationes, quae ad summum veniunt, simulac per captivas mulieres Trojanas certior facta est, ab Achivis decretum esse, ut immolaretur Polyxena. Dum Ulixis animum flectere et a consilio revocare studet, cum longiore contentione tum filiae animi magnitudine ipsa ita confirmatur, ut illi virginem abducturo etsi frustra, fortiter tamen resistere conetur et postea, Talthybio in scenam prodeunte, se ipsam quoque ad supplicium abductum iri sperans laeto atque alacri animo morti se offerre possit. Quod in ipso temporis puncto, quo Ulixes virginem abducit, procumbit atque exanimatae instar humi jacet, in eo nemo offendet, qui cogitaverit, etiam virum, cui praematura morte amores et deliciae eripiantur, frangi posse, nedum frangatur mulier et senectute et malis oppressa. Egregia Talthybii narratione de Polyxenae in ipsa morte constantia atque virginali verecundia, neque minus consilio quod capit sepeliendae filiae, animo confirmatur ad perpetiendum acerbissimum, qui ei imminet, dolorem. Polyxena matri erepta erat ab Achivis, dominis quibus serva inferior erat, manibus Achillis caedem expostulantibus, quo fieri non poterat, quin omnes, ad quas regina deduci poterat, ulciscendi cogitationes prorsus rejicerentur; Polydorus vero necatus est ab hospite perfido atque religionis experte, qui mera pecuniae aviditate ad foedissimum scelus adducitur. Quem quominus ulciscatur nihil obstat concedentibus Achivis. Itaque mulier gravissimis malis et acerbissimis doloribus ad ferocissimam rabiem rapta crudelissimum quidem sed justissimum supplicium sumit de Polymestore. Sic Hecubae mores aptissime descripti imaginem efficiunt, quam neque probabilitati neque fabulis antiquitus traditis repugnare censemus. Neque minus in Polyxenae moribus non est, quod auctore Aristotele vituperemus. Virginem honestam conspicimus in servitutem abductam, quae certior facta de Achivorum decreto regii generis memor mortem praefert turpissimae servituti neque

---

[15]) in scholis de arte scenica. (Opp. ed. Boecking. T. V. p. 167.)

tamen fracto demissove animo vitam abjicit, verum animo forti atque invicto sortem ferens matri servitutis sociae multum praebet solatii. Immolatio ab Achivis decreta honestam ei offert facultatem servitutis effugiendae atque eundi illuc, ubi jam sunt cognati et affines, ipsi quoque hostium ferro occisi; quam facultatem lubenti animo arripiens non queritur de matura sua morte nisi quod matri senectutis et servitutis solatium eripiatur. In ipso vero mortis discrimine summam constantiam conjunctam cum egregia virginali pudicitia exhibet itaque summam habet hostium admirationem. Ita Polyxenae persona tam praeclare pulchreque descripta est, ut, si Eur. aliam feminam honestam atque generosam non finxisset, propter unam illam absolvi possit crimine *μισογυνείας*. Gruppius quidem illam morum descriptionem probabilitati repugnare judicat (l. c. p. 375.). Cum quo minime consenserimus. Quodsi Polyxenae mortis contemptionem vituperans hanc virginem comparat cum Antigona Sophoclea, quae et ipsa ad mortem destinata magnum prae se tulerit vitae amorem, contra dicendum est, inter utriusque virginis condiciones magnam intercedere dissimilitudinem. Namque Antig., quae, quamvis multis malis oppressa sit, et ipsa libera et libero atque generoso viro desponsa est, habet, cur in vita remanere cupiat; Polyx. vero ex vita nullam jam voluptatem capere potest neque quidquam praeter servitutis mala eam manet. In Ulixis quoque persona morum descriptio minime repugnat praescriptis Aristoteleis. Namque et idem est facundus veterator, quem apud alios scriptores videre consuevimus, et talem se praestat, qualem eum esse actio postulat. Etenim ad Polyxenam matri eripiendam quis e Graecis deligeretur nisi is, qui in Achivorum concione Agamemnoni ab Hecuba stanti audacter repugnaverat et vehementer, ut Achillis manes caede virginis Trojanae placarentur, nixus erat? Quem e Graecis Hec. a consilio se revocaturam speraret, nisi eum, quem ipsa antea ex summo discrimine servaverat itaque beneficio obstrinxerat? Atque ne hic vir, qui ab Hec. commodum publicum negligente servatus erat, publici commodi causa inexorabilem se praebens ingratissimus videatur, pulchre provisum est eo, quod Polyx. ex generosa ingenii indole et in extremis suis rebus mortem contemnit et Ulixi subvenit. In Agamemnonis quoque persona non fere est, quod improbetur. Propter amorem suum erga Cassandram amicum erga Hec. animum prae se fert, qua re in magnas adducitur angustias. Jam in Achivorum concione, ne immolaretur Polyx., intercedere conatus superatur sententiis ceterorum, qui eum accusant, quod Cassandrae causa ingratum se praebeat in manes Achillis, cujus maxime opera Graeci victores facti sint. Audita Polydori nece misericordia captus optat quidem, ut Polymestor poena afficiatur, se ipsum vero supplicium de illo sumere posse negat, quod et Achivorum exercitus hunc pro amico atque socio, Polydorum pro hoste habeat, neque ipse iterum Achivorum illud opprobrium audire velit. Nihilominus Hecubae quantum potest favet indulgetque, impediens quominus milites Polymestori succurrant, et ultione peracta palam stat cum Hecuba adversus Thracium regem, quem jure meritoque plecti profitetur. Hartungus (E. r. I. p. 512.) amico Agamemnonis erga Hec. animo verum Cassandrae amorem subesse negans alias causas longius repetit neque satis argumentis firmat, dicens: „Agam., ut solent Atridae, amori et cupidini obnoxius conspicitur. Nam quum aequum esse intelligat, ut pro Polyx. matri Cassandra restituatur, ne hac ipse privetur cavens, communem omnium salutem suo commodo rursus eodem cum dedecore, quo quondam, quum Chryseidis causa Achillem contumelia afficeret, postponit. . . . . Injustitiae crimen sceleri profanatae sacerdotis Agam. adjungit, cujus sibi culpae conscius postea ultionem Hecubae adjuvat.“ Negari non potest, tali modo Agamemnonis personam omni tragica honestate et sublimitate privari. Quanto vero simplicius, quanto pulchrius et tragoediae convenientius, si Agamemnoni verum Cassandrae amorem tribuimus! Quod probatur versu 853., quo Agam. ipse Polydoro affinem se dicit, si quidem auctoritatem ac fidem habet Elmsleii emendatio: *εἰ δ' ἐμοὶ* (pro *εἰ δὲ σοὶ*) *φίλος — ὅδ' ἐστί, χωρὶς τοῦτο κοὐ κοινὸν στρατῷ*. Potior forsitan sit sententia eorum, qui Agamemnonem inertiae atque

debilitatis animi arguant, quum concedendum sit, minime apparere potentissimum illum regem, fortissimum atque superbissimum ducem, quem apud Homerum videmus. Homericus ille Agam. omnibus Achivorum ducibus obsistens Achilli, viro omnium Graecorum fortissimo, virtutis praemium eripere non veretur; Euripideus vero anxius, ne sibi a militibus exprobraretur amor Cassandrae, monstrum hominis sceleratissimi, qui omnia divina humanaque jura permiscuerit, ipse supplicio afficere veritus, ultione anui delegata satis habet de facinore perpetrato aequam justamque sententiam ferre. Qua re negare non possumus probari, quae supra in universum de Euripidea morum descriptione dicta sunt, eum personas heroicae aetatis accommodasse ad suam aetatem. Minime vero Aristoteleis praescriptis satisfacit persona Polymestoris, qui homo omnino nefarius atque improbissimus spem a gentilibus hospitibusque in se positam destituens puerum sibi traditum sua manu enecaverit idque eo tantum consilio, ut hujus aurum retinere possit. Cujus improbitas etiam augetur eo quod facinus illud tum demum committit, quum Trojanorum opes jam fractae jacent, quum jam sperare potest, se poenas non daturum, eo igitur tempore, quo optime verum amicum se praestare et potuit et debuit; ἐν τοῖς κακοῖς γὰρ ἀγαθοὶ σαφέστατοι — φίλοι. Atque tantum abest, ut Eur. Polymestoris improbitatem aliis virtutibus obtegat, ut eam prorsus detegere maximopere studeat. Namque ille, quamqam summo dolore atque misericordia se affectum simulat, mox in colloquio cum Hec. habito sordidissimam pecuniae aviditatem dissimulare non potest, qua abreptus in perniciem incurrit. Neque vero temere poeta Polymestorem talem finxisse putandus est, sed quo magis Hecubae ira atque ulciscendi cupiditas exacuatur quoque facilius audax ejus conatus peragatur. Itaque poeta honestatem tragicae personae suo commodo condonans providet, ne ulla omnino aut agentium aut spectantium moveatur miseratio, neque consentiendum est cum Raumero, qui (in annott. ad Eur.) eo quod terribile subeat supplicium, illum miserationem movere atque tragicam personam fieri dicit. In Talthybii persona non occurrit quod reprehendatur. Nam probus ille senex quum praeco ad Hecubam arcessendam missus eam malis oppressam humique jacentem conspiciat, ei etsi mulieri hostili cum justissimam misericordiam impertit tum splendidissima de morte Polyxenae narratione multum praebet solatii.

De tertia tragoediae parte, sententiis, Arist. statuit (Poet. VI. 22.), ut ea enuncient, quae ex fabulae argumento dici possint et quae personis loquentibus apta sint. Ad illud praeceptum spectant, quae addit, pristinos poetas induxisse homines πολιτικῶς λέγοντας, illius vero temporis poetas fingere ῥητορικῶς λέγοντας. In interpretando hoc dicto Hermannus, quum pleraque tragoediarum argumenta in eo versentur, ut de publica civitatis alicujus utilitate agatur, πολιτικῶς λέγειν idem esse judicat ac „dicere quae e re publica sint," ῥητορικῶς λέγειν idem ac „disceptare in utramque partem, magis cognoscendae rei causa, quam ut aliquid suadeatur vel dissuadeatur." His non repugnant ea quae Welckerus dicit [16]), πολιτικῶς λέγειν spectare ad simplicem sinceramque facundiam hominis vere nobilis atque sublimis, ῥητορικῶς λέγειν ad eloquentiam fucatam atque arte rhetorica exornatam. Ita fit, ut πολιτικῶς dicta magis cohaereant cum fabulae argumento, ῥητορικῶς autem dicta longius ab argumento digrediantur. Quamobrem Arist. prae pristinis poetis posteriores paulum reprehendisse putandus est.

In sententiis enunciandis Eur. non minus atque in moribus describendis ab heroica aetate digreditur, suae aetati eas accommodans. Nam quum praeceptoribus uteretur Anaxagora et Prodico idemque amicissimus esset Socrati, factum est, ut tragoedias suas sententiis ex illorum philosophorum doctrina repetitis repleret, quamobrem a veteribus φιλόσοφος σκηνικός nominatus est. Saepenumero vero illis sententiis alieno loco utitur, ita fabulis eas inserens, ut, quum ipse poeta nimis perluceat, ad actionem

---

[16]) in commentatione quae inscribitur: die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet (in mus. Rhen. Tom. suppl. II. p. 920.).

minime spectare videantur. Quamobrem jure refertur in numerum eorum, quos Arist. ῥητορικῶς λέγοντας induxisse dicit. Aequalibus suis, qui elegantia verborum atque subtilitate sententiarum magnopere delectabantur, nimis indulgens fabulis inserit concertationes illas judiciales vel forenses, in quibus duo in diversas sententias discedentes causam deferunt ad tertium quendam, quo arbitro in contrarias partes disputant, ut in nostra fabula Polymestor et Hecuba judice Agamemnone causas suas orant. Quamobrem Quinctil. Euripidem praecipue commendat oratoribus atque advocatis (inst. orat. X. 1, 67.).

In nostra fabula multae quidem inveniuntur sententiae philosophorum doctrinam redolentes, pleraeque vero congruunt rebus gestis gerendisve. Longius autem ab actione Hec. digreditur vv. 596—606, in quibus audita magnanima Polyxenae morte de fontibus virtutis meditans eam praeter omnem antiquitatis consuetudinem non ex sola originis nobilitate repetit, verum etiam pendere vult e liberali educatione atque institutione. Quem locum comprobans Hartungus (E. r. I. p. 518) dicit, verbis exprimenda fuisse ea, quae docere voluerit poeta Polyxenae exemplum proponendo. Ut hoc concedatur, minime tamen probari potest quod addit: nec personam nec tempus magis opportunum reperiri potuisse; immo vero etiam illam sententiam non opportuno loco enunciatam esse, optime eo apparet, quod Hec. ipsa postea (v. 607.) dicit: καὶ ταῦτα μὲν δὴ νοῦς ἐτόξευσεν μάτην. Bene interrogat Eustathius (ad Il. XIII. 292.): ἀλλ' ἐὰν μάτην, διὰ τί, ὦ Εὐριπίδη, ὅλως ἐτόξευσεν; Pflugkius, etsi ipse gravis Euripidis propugnator, tamen hanc sententiam parum opportunam esse judicans addit: „ejusmodi ματαιολογιῶν plenae fabulae Euripideae“ (ad Hec. 592—602.). — Gravissimam atque meritissimam plurimorum criticorum offensionem concitarunt vv. 820—826, quos neque reginae dignitati neque tragoediae sublimitati aptos esse judicamus. Aristoph. jam in Ran. Aeschylum inducit de Eurip. cum vituperatione dicentem (vv. 1079. sq.): οὐ προαγωγοὺς κατέδειξ' οὗτος; Deinde schol. ad Soph. Aj. 520. illum nostrae fabulae locum notat dicens: ὁ δέ γε Εὐριπίδης μαστροπικώτατα εἰσάγει τὴν Ἑκάβην λέγουσαν· ποῦ τὰς φίλας δῆτ' εὐφρόνας δείξεις, ἄναξ κτλ. Hartungus, qui nulli fere Euripidis vituperationi non respondet, ad hanc verba scholiastae Euripidei afferre satis habet (E. r. I. p. 523.). Qui dicit: οὐ μαστροπώδεις οἱ λόγοι, ἀλλ' ἀφαιρεθεῖσα τὸν τῆς τύχης ὄγκον εἰς πᾶν ὁτιοῦν καταβαίνει, καθομιλοῦσα τοῖς καιροῖς καὶ λέγουσα τοιαῦτα δι' ὧν ἔμελλε θηρᾶσθαι βοήθειαν. Quibus verbis nihil negans nisi μαστροπικὴν esse sententiam ipse concedit, Hecubam dignitatem non tuentem descendere ad omnia, quaecunque movere possint Agamemnonis animum. Quae Raumerus (in annott. ad Eur.) de hac re dicit, vituperationem Euripidis minime diluere possunt. Nam quod Hec. ipsa illa verba supervacanea arbitratur neque multum ex iis sperat, antea jam dicens: καὶ μὴν ἴσως μὲν τοῦ λόγου κενὸν τόδε, — Κύπριν προβάλλειν, id nobis augere potius quam minuere videtur odium in eam. Quamquam reliquae Hecubae sententiae omnino probandae sunt, tamen vituperatio, in quam duae, quas attulimus, inciderunt, gravior est, quam ut accedamus ad sententiam Lessingii, qui (l. c. cap. 89.) dicit, studiose animum attendendum ad Hecubam Euripideam et acquiescendum, si quis praeter illam nullam reginam loquentem audiverit. Reliquarum personarum sententias Aristoteleo praecepto, ut sint aptae, satisfacere judicamus, quamquam negare non possumus, nonnullum versum non arte cohaerere cum actione, verum supervacaneum esse. Στιχομυθίαι (i. e. longiores sermones, qui alternis versibus inter actores fiunt) nostrae fabulae, etsi non aperte Aristoteleis praescriptis repugnant, tamen vituperandae videntur, quod versantur plerumque in molestis interrogationibus et responsis, qua re sententiarum vires maxime extenuantur. Optime Solgerus (l. c.) Aeschyli στιχομυθίας cum saxis adversario vehementer ingestis, Sophoclis cum sagittis prudenter intentis, Euripidis cum pilis commode ultro citroque jactatis comparat.

Quartam tragoediae partem, dictionem Arist. perfectam atque absolutam esse dicit (Poet. XXII.), si perspicua nec tamen exilis sit; gravem autem esse et a vulgari oratione discedere, si peregrina specie utatur i. e. si habeat γλῶτταν s. voces singulares et μεταφοράν s. translationem et quidquid a

proprio recedat; quibus non immodice utendum esse, quum, si omnia γλῶτται sint, barbarismi, sin omnia μεταφοραί, aenigmata efficiantur, verum saepe etiam proprias voces adhibendas esse. Itaque dictionem prudenter temperandam esse et propriis et peregrinis, ut haec gravitatem, illa perspicuitatem efficiant.

Quamquam Euripidis dictionem neque Aeschyleam granditatem neque Sophocleam suavitatem adaequare, sed paulum supra vulgarem orationem attolli inter omnes fere constat, certe tamen ea putanda est, quae Aristoteleis praescriptis satisfaciat, quum neque obscuritatem neque exilitatem habeat. Arist. ipse (Poet. XXII. 19.) in jambicis, quae maxime imitentur vulgarem orationem, ea dictione utendum esse dicit, qua etiam in vulgari oratione uti possimus. Et alio loco (Rhet. III. 2.) nominatim Euripidem propter dictionem laudat, dicens: δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως· τοῦτο γὰρ πιθανόν, ἐκεῖνο δὲ τοὐναντίον· . . . . . κλέπτεται δ' εὖ, ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῇ· ὅ περ Εὐριπίδης ποιεῖ καὶ ὑπέδειξε πρῶτος. Dissimulandum igitur esse dicit ornandi studium et bene dissimulari, si quis ex consueto sermone delecta conjungat, id quod Eurip. fecerit.

In nostra quoque fabula translationes inveniuntur nec permultae nec nimis conspicuae neque desunt aliae inaequalitates s. figurae, quas enumerare aut strictim attingere angusto spatio vetamur, quamvis poeta modice iis utatur. Ita fit, ut dictio et humilitatem exilitatemque vulgaris orationis effugiat neque aut tumida aut obscura sit, itaque ex Aristotelis mente laudanda sit. Neque tamen desunt, qui in dictione quoque Euripidem vituperent idque ita, ut vituperatio in nostram quoque fabulam transferri possit, ut Aristoph. (Ran. 1338. 51. 53. sqq.) Euripidem perstringit, quod saepissime usus sit geminatione verborum. Quae in Hec. invenitur sexcenties, idque in partibus melicis; quamobrem, quum hac geminatione querimoniis plus ponderis afferatur, illam vituperationem ut injustam rejicimus. Pari modo Euripidi objicitur σιγματισμός s. nimius literarum sibilantium usus, qui efficit, ut versus molliorem reddant sonum. Cujus rei in Hec. quoque non pauca inveniuntur exempla. At hoc vitium, ad quod fortasse pauca alia accedunt, id non est, quod universam nostrae fabulae dictionem corrumpere ejusque virtutes obscurare possit. Quamobrem facere non possumus, quin ad Hecubae dictionem referamus Horatii illud (ep. ad Pis. 351. sqq.): Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis — Offendar maculis, quas aut incuria fudit, — Aut humana parum cavit natura.

Postremas duas tragoediae partes, modulationem et scenicum apparatum, Arist. minime illustrat, quum parum pertineant ad artem poeticam; namque etiam sine iis tragoedia id quod vult consequi atque metum et miserationem commovere potest. Quamobrem eas omnino praetermittentes transeamus jam ad exteriorem tragoediae habitum, quem Arist. cap. XII. strictim et quasi praeteriens tractat, partes tragoediae enumerans has: prologum, ἐπεισόδιον, exodum, chorica.

Prologi Arist. alio quoque loco (Rhet. III. 14.) mentionem facit dicens: τὸ προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον· πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ' εἰσί καὶ ὁδοποίησις τῷ ἐπιόντι. Quo apparet, tragoediae prologum esse actionis ingressionem, qua spectatores de rebus quibusdam antecedentibus, e quibus actionis implicatio gignatur, certiores fiant. Multum vero distant Euripidei prologi[17]) a Sophocleis. Namque apud Soph. prologi artissime conjuncti sunt cum actione, quum personae primo initio in scenam prodeuntes dialogo non longius repetito, verum e natura rerum fluente spectatores in actionem inducant. In Euripideis vero tragoediis plerisque una tantum persona scenam ingreditur et ad spectatores conversa rerum statum narrando exponit, nonnunquam etiam res spectatoribus notissimas, ut in fabula Helena Menelai uxor prologum agens nomen, patriam, Paridis judicium, alias res satis notas narrat. Interdum illa persona nullam actionis ipsius partem habet,

---

[17]) De prologis Euripideis uberrime scripserunt Eichstaedtius in libello, qui inscribitur: „de dramate Graecorum comicosatyrico“ et F. Th. Ellendtius in dissertatione de prologis tragoediae Graecae.

verum „quasi coelo demissa videtur,“ ut spectatores de fabulae argumento certiores faciat, quo facto agentibus personis locum concedit. Ejusmodi prologos Ellendtius *narrativos* nominat. Qua de causa Euripidei prologi multam subierunt vituperationem cum veterum tum recentiorum criticorum. Inter illos maxime elucet Aristoph., qui in Acharn. (v. 46. sqq.) *γενεαλογοῦντας* Euripidis prologos perstringit et in Ran. (v. 1177. sqq.) Aeschylum inducit exordia fabularum Euripidearum *ληκυθίῳ* adjuncto discindentem, quo joco, ut recte judicat Ellendtius [18]) cum scholiasta, *τὴν ὁμοειδίαν* cavillatur prologorum, qui „omnium fere fabularum iidem sint nec ulla ferme re nisi nominibus mutatis cuivis fabulae Euripideae non minus commode possint praefigi, quam verba illa jocularia (*ληκύθιον ἀπώλεσεν*) singulis versibus jambicis addantur.“ Ad hunc jocum spectans schol. ad Eur. Phoen. 309. non sine vituperatione dimetrum trochaicum catalecticum *τροχαϊκὸν ἑφθημιμερὲς Εὐριπίδειον ἢ ληκύθιον* dicit. Hartungus (E. r. I. p. 321. sq.) illum jocum ad universum genus dicendi, quod Aristoph. nimis subtile, tenue humileque esse arguat, non ad prologos solos spectare nulla ratione judicat. Idem antiquorum scriptorum neminem prologos Euripidis vituperasse, sed uno ore omnes laudi tribuisse dicit, id quod argumentis confirmare omnino negligit. Atqui tantum abest, ut Aristot., qui uno tantum artis poeticae loco tragoediae prologos strictim attingit, Euripideos prologos laude afficiat, ut illa ipsa ex definitione vituperatio eorum duci possit. Philos. enim (Poet. XII. 4.) prologum esse vult integram et necessariam tragoediae partem. Quum autem in generali tragoediae definitione tragoediam esse dicat imitationem actionis per agentes, non per narrationem (*δρώντων καὶ οὐ δι᾽ ἀπαγγελίας*), qua re ab ea differat epica poesis, itaque differentiam utriusque poesis in actione aut narratione ponat, non potest narrationem, qualis in Euripideis prologis invenitur, non ab omni tragoedia atque ab omnibus tragoediae partibus prorsus excludere. Aliam in vituperationem prologi Euripidei inciderunt propter praenunciationem rerum futurarum. Nonnullis enim in fabulis deus prologum agens spectatoribus non solum antecedentia, verum etiam actionis progressum et exitum modo occultius modo apertius praenunciat. Cujusmodi prologos *praeparatorios* neque apud Aesch. neque apud Soph., verum apud unum Eur. inveniri, recte notat Boeckhius. [19]) Quod Euripidis institutum a veteribus criticis laude affectum esse dicit Hartungus (E. r. I. p. 322.), ad cujus rei testimonium ab eo vocatur Thomas Magister, saeculi XIV. p. Ch. n. grammaticus, cujus in verbis haud scio an nulla laus insit, quum simpliciter dicat (synops. vitae Eur.): *πολλὰ γὰρ εἰς τὴν τέχνην ἐξεῦρεν, ἃ οὐδειςτισοῦν γε τῶν πρὸ αὐτοῦ· τό τε γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος τὴν ὑπόθεσιν διατυποῦν καὶ τὸν ἀκροατὴν ὥςπερ χειραγωγεῖν εἰς τὸ ἔμπροςθεν Εὐριπίδου τέχνημα.* Inter recentiores criticos gravissimus Euripidis defensor, Lessingius, ejus prologos ab omni vituperatione vindicare conatus ex ista rerum futurarum praenunciatione maxime pulchritudinem nasci atque adeo poetam propter istam praenunciationem finem tragoediae ab Aristot. propositum maxime consecutum esse judicat (l. c. cap. 48. 49.). At exemplum, quod affert, non accommodari potest ad omnes Euripidis prologos. In Ione enim fabula Mercurius spectatoribus praenunciat, id quod agentium nemo scit, Ionem esse Creusae filium, itaque indicat actionis implicationem ex hac agentium inscitia orituram, de exitu fabulae nihil praedicens. Concedamus vero Lessingio, in illa fabula majorem metum majoremque miserationem spectatorum concitari, si ab initio cognitum habeant, Creusam esse matrem ejusdem Ionis, quem ipsa interfectura sit; quandoquidem ipse concedit, illam rerum cognitionem nobis artificiosius posse injici, quam Eur. fecerit. Quodsi vero illud in omnes Euripidis tragoedias transfert, non possumus ab eo non dissentire, quum, ut nostra fabula exemplo utamur, nobis persuasum sit, non minorem nos

---

[18]) Ellendtii de tragicis Graecis imprimis Euripide ex ipsorum aetate et temporibus judicandis aequaliumque judiciis commentatio; p. 19.

[19]) in libello de Graecae tragoediae principibus scripto; p. 215.

proprio recedat; quibus non immodice utendum esse, quum, si omnia γλῶτται sint, barbarismi, sin omnia μεταφοραί, aenigmata efficiantur, verum saepe etiam proprias voces adhibendas esse. Itaque dictionem prudenter temperandam esse et propriis et peregrinis, ut haec gravitatem, illa perspicuitatem efficiant.

Quamquam Euripidis dictionem neque Aeschyleam granditatem neque Sophocleam suavitatem adaequare, sed paulum supra vulgarem orationem attolli inter omnes fere constat, certe tamen ea putanda est, quae Aristoteleis praescriptis satisfaciat, quum neque obscuritatem neque exilitatem habeat. Arist. ipse (Poet. XXII. 19.) in jambicis, quae maxime imitentur vulgarem orationem, ea dictione utendum esse dicit, qua etiam in vulgari oratione uti possimus. Et alio loco (Rhet. III. 2.) nominatim Euripidem propter dictionem laudat, dicens: δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως· τοῦτο γὰρ πιθανόν, ἐκεῖνο δὲ τοὐναντίον· . . . . κλέπτεται δ' εὖ, ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῇ· ὅ περ Εὐριπίδης ποιεῖ καὶ ὑπέδειξε πρῶτος. Dissimulandum igitur esse dicit ornandi studium et bene dissimulari, si quis ex consueto sermone delecta conjungat, id quod Eurip. fecerit.

In nostra quoque fabula translationes inveniuntur nec permultae nec nimis conspicuae neque desunt aliae inaequalitates s. figurae, quas enumerare aut strictim attingere angusto spatio vetamur, quamvis poeta modice iis utatur. Ita fit, ut dictio et humilitatem exilitatemque vulgaris orationis effugiat neque aut tumida aut obscura sit, itaque ex Aristotelis mente laudanda sit. Neque tamen desunt, qui in dictione quoque Euripidem vituperent idque ita, ut vituperatio in nostram quoque fabulam transferri possit, ut Aristoph. (Ran. 1338. 51. 53. sqq.) Euripidem perstringit, quod saepissime usus sit geminatione verborum. Quae in Hec. invenitur sexcenties, idque in partibus melicis; quamobrem, quum hac geminatione querimoniis plus ponderis afferatur, illam vituperationem ut injustam rejicimus. Pari modo Euripidi objicitur σιγματισμός s. nimius literarum sibilantium usus, qui efficit, ut versus molliorem reddant sonum. Cujus rei in Hec. quoque non pauca inveniuntur exempla. At hoc vitium, ad quod fortasse pauca alia accedunt, id non est, quod universam nostrae fabulae dictionem corrumpere ejusque virtutes obscurare possit. Quamobrem facere non possumus, quin ad Hecubae dictionem referamus Horatii illud (ep. ad Pis. 351. sqq.): Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis — Offendar maculis, quas aut incuria fudit, — Aut humana parum cavit natura.

Postremas duas tragoediae partes, modulationem et scenicum apparatum, Arist. minime illustrat, quum parum pertineant ad artem poeticam; namque etiam sine iis tragoedia id quod vult consequi atque metum et miserationem commovere potest. Quamobrem eas omnino praetermittentes transeamus jam ad exteriorem tragoediae habitum, quem Arist. cap. XII. strictim et quasi praeteriens tractat, partes tragoediae enumerans has: prologum, ἐπεισόδιον, exodum, chorica.

Prologi Arist. alio quoque loco (Rhet. III. 14.) mentionem facit dicens: τὸ προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον· πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ' εἰσὶ καὶ ὁδοποίησις τῷ ἐπιόντι. Quo apparet, tragoediae prologum esse actionis ingressionem, qua spectatores de rebus quibusdam antecedentibus, e quibus actionis implicatio gignatur, certiores fiant. Multum vero distant Euripidei prologi[17]) a Sophocleis. Namque apud Soph. prologi artissime conjuncti sunt cum actione, quum personae primo initio in scenam prodeuntes dialogo non longius repetito, verum e natura rerum fluente spectatores in actionem inducant. In Euripideis vero tragoediis plerisque una tantum persona scenam ingreditur et ad spectatores conversa rerum statum narrando exponit, nonnunquam etiam res spectatoribus notissimas, ut in fabula Helena Menelai uxor prologum agens nomen, patriam, Paridis judicium, alias res satis notas narrat. Interdum illa persona nullam actionis ipsius partem habet,

[17]) De prologis Euripideis uberrime scripserunt Eichstaedtius in libello, qui inscribitur: „de dramate Graecorum comico-satyrico" et F. Th. Ellendtius in dissertatione de prologis tragoediae Graecae.

verum „quasi coelo demissa videtur,“ ut spectatores de fabulae argumento certiores faciat, quo facto agentibus personis locum concedit. Ejusmodi prologos Ellendtius *narrativos* nominat. Qua de causa Euripidei prologi multam subierunt vituperationem cum veterum tum recentiorum criticorum. Inter illos maxime elucet Aristoph., qui in Acharn. (v. 46. sqq.) γενεαλογοῦντας Euripidis prologos perstringit et in Ran. (v. 1177. sqq.) Aeschylum inducit exordia fabularum Euripidearum ληκυθίῳ adjuncto discindentem, quo joco, ut recte judicat Ellendtius [18]) cum scholiasta, τὴν ὁμοειδίαν cavillatur prologorum, qui „omnium fere fabularum iidem sint nec ulla ferme re nisi nominibus mutatis cuivis fabulae Euripideae non minus commode possint praefigi, quam verba illa jocularia (ληκύθιον ἀπώλεσεν) singulis versibus jambicis addantur.“ Ad hunc jocum spectans schol. ad Eur. Phoen. 309. non sine vituperatione dimetrum trochaicum catalecticum τροχαϊκὸν ἐφθημιμερὲς Εὐριπίδειον ἢ ληκύθιον dicit. Hartungus (E. r. I. p. 321. sq.) illum jocum ad universum genus dicendi, quod Aristoph. nimis subtile, tenue humileque esse arguat, non ad prologos solos spectare nulla ratione judicat. Idem antiquorum scriptorum neminem prologos Euripidis vituperasse, sed uno ore omnes laudi tribuisse dicit, id quod argumentis confirmare omnino negligit. Atqui tantum abest, ut Aristot., qui uno tantum artis poeticae loco tragoediae prologos strictim attingit, Euripideos prologos laude afficiat, ut illa ipsa ex definitione vituperatio eorum duci possit. Philos. enim (Poet. XII. 4.) prologum esse vult integram et necessariam tragoediae partem. Quum autem in generali tragoediae definitione tragoediam esse dicat imitationem actionis per agentes, non per narrationem (δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας), qua re ab ea differat epica poesis, itaque differentiam utriusque poesis in actione aut narratione ponat, non potest narrationem, qualis in Euripideis prologis invenitur, non ab omni tragoedia atque ab omnibus tragoediae partibus prorsus excludere. Aliam in vituperationem prologi Euripidei inciderunt propter praenunciationem rerum futurarum. Nonnullis enim in fabulis deus prologum agens spectatoribus non solum antecedentia, verum etiam actionis progressum et exitum modo occultius modo apertius praenunciat. Cujusmodi prologos *praeparatorios* neque apud Aesch. neque apud Soph., verum apud unum Eur. inveniri, recte notat Boeckhius. [19]) Quod Euripidis institutum a veteribus criticis laude affectum esse dicit Hartungus (E. r. I. p. 322.), ad cujus rei testimonium ab eo vocatur Thomas Magister, saeculi XIV. p. Ch. n. grammaticus, cujus in verbis haud scio an nulla laus insit, quum simpliciter dicat (synops. vitae Eur.): πολλὰ γὰρ εἰς τὴν τέχνην ἐξεῦρεν, ἃ οὐδειςτιςοῦν γε τῶν πρὸ αὐτοῦ· τό τε γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος τὴν ὑπόθεσιν διατυποῦν καὶ τὸν ἀκροατὴν ὥςπερ χειραγωγεῖν εἰς τὸ ἔμπροςθεν Εὐριπίδου τέχνημα. Inter recentiores criticos gravissimus Euripidis defensor, Lessingius, ejus prologos ab omni vituperatione vindicare conatus ex ista rerum futurarum praenunciatione maxime pulchritudinem nasci atque adeo poetam propter istam praenunciationem finem tragoediae ab Aristot. propositum maxime consecutum esse judicat (l. c. cap. 48. 49.). At exemplum, quod affert, non accommodari potest ad omnes Euripidis prologos. In Ione enim fabula Mercurius spectatoribus praenunciat, id quod agentium nemo scit, Ionem esse Creusae filium, itaque indicat actionis implicationem ex hac agentium inscitia orituram, de exitu fabulae nihil praedicens. Concedamus vero Lessingio, in illa fabula majorem metum majoremque miserationem spectatorum concitari, si ab initio cognitum habeant, Creusam esse matrem ejusdem Ionis, quem ipsa interfectura sit; quandoquidem ipse concedit, illam rerum cognitionem nobis artificiosius posse injici, quam Eur. fecerit. Quodsi vero illud in omnes Euripidis tragoedias transfert, non possumus ab eo non dissentire, quum, ut nostra fabula exemplo utamur, nobis persuasum sit, non minorem nos

---

[18]) Ellendtii de tragicis Graecis imprimis Euripide ex ipsorum aetate et temporibus judicandis aequaliumque judiciis commentatio; p. 19.

[19]) in libello de Graecae tragoediae principibus scripto; p. 215.

capturos esse Hecubae miserationem, si hanc fortunatissimam olim reginam, Troja diruta, occiso Priamo sensim atque gradatim in recentia mala incidentem videremus, quam si Polydori manes audimus narrantes, illa Hecubae jam accidisse, haec eam mox oppressura. Quin etiam animi commotionem et miserationem nostram majorem fore putamus, si malorum instantium prorsus inscii essemus. Lessingius Diderotum secutus non re ipsa, verum sola ratione, qua de ea doceamur, non rebus inexspectatis vel inopinatis, verum apta compositione rerum spectatoribus notarum miserationem concitari atque augeri dicit. Quod si Aristotelis testimonio firmat, qui Euripidem τραγικώτατον inter poetas dixerit, in eundem incidit errorem, in quem Hartungum incidisse supra docuimus. Toto enim illo loco (Poet. XIII. 10.) nihil conspici potest, quo probetur, Euripidem propter aliam causam τραγικώτατον nominari, quam quod commutationem fortunae bene ita instituerit, ut res secundae mutarentur in adversas. Contentus esse debuit Lessingius argumento illo, ut ita dicam, ***negativo,*** quod paulo supra affert, neque Aristotelem neque Horatium quidquam diserte de necessitudine rerum inopinatarum docuisse eosque, qui hanc docuissent, exempla neque e plurimis neque ex optimis veterum fabulis repetisse dicens. At contra dicendum est, id quod jam Ellendtius (de prol. p. 33.) recte notat, Aristotelem, ubi bene ordinandae tragoediae exempla requirantur, semper fere priores, raro et plerumque cum nota quadam reprehensionis Euripidem commemorare. Veremur ne nimis Φιλευριπίδης fuerit subtilissimus noster criticus ideoque justo pertinacius defenderit rem infirmissimam. Alia vituperatio Euripideorum prologorum duci potest ex brevi illa Aristotelea definitione. Dicit enim phil. (Poet. XII. 4.): ἔστι δὲ πρόλογος μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου et paulo infra (XII. 7.): πάροδος ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ. Prologum igitur usque ad parodum i. e. ad primum totius chori canticum produci vult. Systemata anapaestica, quae nonnunquam primo illi totius chori cantico antecedunt et quae non a toto choro canebantur, sed ab uno coryphaeo recitabantur, a parodo non prorsus excludenda sunt, verum parodi quasi ingressiones putandae sunt, quae a sermone transitum parant ad cantum. Inveniuntur quoque fabulae, in quibus primo initio chorus in scenam prodit, ut in Aesch. Pers., quae nihilominus parodo non carent. Namque in his coryphaeus fundamentum actionis exponit systemate anapaestico, quod excipit parodus Aristotelea. De qua re fusius scribit Hermannus ad Arist. Poet. XII. 7. Nonnunquam vero Eurip. illud Aristotelis praescriptum omnino negligit, quum persona prologum agens non usque ad parodum in scena permaneat, sed jam antea recedens aliis agentibus personis locum concedat. Quum autem saepe in Euripideis fabulis persona προλογίζουσα nullam actionis ipsius partem habeat, fieri potest, ut τὸ μέρος τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου in duas dissolvatur partes, quae inter se minime cohaereant neque ὅλον τι, totum quiddam et integrum efficiant. Itaque in his fabulis duo exsistunt prologi, quorum altero ***narrativo*** resecto alter ***actuosus*** veram fabulae ingressionem dat.

Omnes hae vituperationes, quas universe Euripidei prologi subierunt, in nostrae quoque fabulae prologum valent. Primum enim ille est ***narrativus,*** quum Polydori umbra sola in scenam progrediens spectatoribus rerum statum exponat.[20]) Deinde idem ***praeparatorius*** est. Polydorus enim spectatoribus narrat, id quod agentium nemo scit, uno illo die Polyxenam Achillis manibus immolatum iri et suum corpus a Polymestore in mare projectum in matris manus venturum esse. Denique ***duplex*** ille est et si Polydori narratio resecatur, tragoedia plus pulchritudinis quam detrimenti capit, quum Hecubae oratio, etsi non jambica, multo aptiorem fabulae expositionem praebeat.

---

[20]) Neque, ut id quoque in transitu attingam, Aristophaneo illi joco repugnat prologus fabulae nostrae, verum pari modo ληκυθίῳ discindi potest: Ἥκω, νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπών, ἵν' Ἅιδης — ληκύθιον ἀπώλεσεν.

Exsistit autem hoc loco quaestio, quaenam causa Euripidem ad fingendos tales prologos permoverit, quos e segnitie et negligentia fluxisse non possumus judicare. Nec minus improbandum videtur id quod Eichstaedtius (l. c. p. 98. not.) et Schlegelius (l. c. p. 142.) judicant, Euripideis tragoediis opus fuisse talem narrationem et praenunciationem argumenti, quod poeta saepe fabularum rationem a veteribus traditam commutasset. Neque enim unus neque primus id fecit Eurip. Ellendtius quoque errare videtur, qui (d. prol. p. 37.) Euripideam consuetudinem e prima tragoediae origine ducendam esse dicit, in qua unus modo actor intercinente choro spectatoribus rem gestam narraverit. Euripidem, qui tam multa in artem intulerit nova, in fingendis his prologis novis et inauditis ad tragoediae initia respexisse, vix credibile est. Magis vero adducimur, ut credamus, quod Pflugkius[21]) affert, poetam hos prologos narrativos et praeparatorios instituisse eo consilio, ut spectatores minus distenti actionis implicatione et progressione facilius caperentur ornatu orationis eximia dulcedine et pulchritudine instructae.

Episodiorum et exodi definitiones Aristoteleae ita sunt imperfectae atque ambiguae, ut ex iis nostram fabulam aestimare prohibeamur.[22]) Nusquam vero apertius Eur. vituperatur ab Aristot., quam eo loco, quo de chori natura disserit. Namque ibi (Poet. XVIII. 21.) dicit: τὸν χορὸν ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ. Quam vituperationem Euripideorum choricorum universe justam esse omnes cum veteres[23]) tum recentiores critici concedunt, praeter unum Hartungum, impigrum Euripidis propugnatorem. Qui (E. r. II. p. 369.) verba illa ab Aristot. sic scripta esse negans jam emendationem ad manum habet suae sententiae praeclare suffragantem. Scripsisse enim putat Aristotelem haec: ὡς παρ' Εὐριπίδῃ, ἢ ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ. At audiamus causas, quae eum ad illam sententiam adducant. Primam affert, quod ea parum cohaereant cum verbis subsequentibus. Aristot. autem ita pergit: τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ ᾀδόμενα οὐ μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστί. Δι' ὃ ἐμβόλιμα ᾄδουσι, πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοιούτου. Quid? haec parum cohaerere cum antecedentibus! Hartungi quidem verba haec sunt: „Si Eur. ipse jam intercalaribus usus est choris, quomodo ei opponi, tamquam contrarium facientes, reliqui potuerunt?“ At minime Aristot. Euripidi reliquos poetas, verum hos et Euripidem uni opponit Sophocli. Sententia enim loci Aristotelei ita est comprehendenda: „Chorum una cum actoribus agere oportet, ut apud Soph., non ut apud Eurip., cujus chorica parum ad actionem spectant; reliqui poetae magis magisque in id vitium delapsi sunt eorumque cantica nullo modo ad fabulam spectant, sed cuivis tragoediae inseri possunt, quamobrem ἐμβόλιμα i. e. intercalaria nominantur.“ Eurip. igitur, etsi chorum plerumque actionis participem non facit, tamen cantica ex fabulae argumento ducit, id quod reliqui poetae duce Agathone prorsus neglexerunt. Idem sentiens Welckerus (l. c. p. 1000.) vinculum, quod chorum nectat ex actione, remissum jam in Euripideis fabulis, postea ita neglectum esse dicit, ut poetae tragoedias scribentes chori cantica modo nova componerent modo aliunde repeterent. Alteram Hart. affert causam, quod illa verba errorem habeant Aristotele minime dignum. „In duodeviginti, inquit, quae exstant, Euripidis fabulis non plus duo carmina reperta sunt, quae illud judicium confirmare viderentur, quorum alterum Iphigeniae Tauricae, alterum Helenae actibus inest ultimis: quae tamen nentiquam esse ἐμβόλιμα satis mihi videor perspicue ostendisse.“ At ex eo, quod non ἐμβόλιμα sunt, minime

---

21) in praefatione tragoediarum Euripidis p. XXXVII.

22) cf. quae de his tragoediae partibus scripsit Kockius in commentatione, quae inscribitur: Ueber die Parodus der griechischen Tragödie im Allgemeinen und die des Oedipus in Kolonus im Besondern.

23) Inter veteres Aristoph. quoque Euripidem propter vitiosam choricorum rationem perstringere videtur Acharn. v. 449. sqq. cf. schol. ad h. l.

efficitur, ut Aristot. ea ab omni vitio vacua esse censuerit. Quin etiam aperte praescribit philos., ut chori cantica non solum ex argumento fabulae fluant, verum etiam ad actionis progressionem et implicationem spectent. Quod praescriptum in omnibus Euripideis canticis, duobus exceptis, observatum esse, Hartungus, ut jam diximus, unus affirmat. Vellem dixisset, quinam essent illi „Euripidis criminatores, qui reliquos choros a Sophoclis choris nihil differre confiterentur.“ Immo etiam Raumerus, gravis Euripidis defensor, multos hujus choros minime cum actione cohaerere concedit.[24]) Venustissimum vero, quod Hart. affert, Sophoclis canticum (Ant. 1115 — 1154: Πολυώνυμε Καδμείας νύμφας ἄγαλμα etc.) minime ἐμβόλιμον esse, verum optime cum actione cohaerere judicamus. Creon enim ingentibus Tiresiae minis perculsus precibusque chori permotus abiit, ut quam citissime sepultura afficeret Polynicis corpus et Antigonam ex carcere mortifero liberaret. Tum chorus Bacchum, deum Thebis praesidem, invocat, ut mala, quae Tiresias minitatus erat, a metropoli averruncet. Quid hoc loco precatione aptius esse potuit? Quod precatio ipsa paulo obscuratur fanaticis Bacchi laudibus, nos offendere non potest, si cogitamus, fabulam die eidem deo sacro editam esse. At revertamur ad Aristotelis illud praescriptum. Quod philos. ipse alio loco (Probl. VI. 19.) interpretatur, dicens: ἔστι ὁ χορὸς κηδευτὴς ἄπρακτος· εὔνοιαν γὰρ μόνον παρέχεται οἷς πάρεστιν. Chorum igitur non ipsum ad res agendas aggredi nec malis obrui nec suas res curare, verum ab actoribus stare atque idcirco actionem semper ante oculos habere ac respicere vult. Ita animi spectatorum actione saepe commoti atque concitati ad novas implicationes colligebantur atque recreabantur. Quibuscum optime consentiunt, quae Friederichsius[25]) dicit, stasima esse actionis intervalla, quibus prohibeatur, ne vehementior fiat animi commotio neve modum excedant spectatorum affectus.

Quaeramus jam, quomodo in nostra fabula Aristotelea illa de choro praescripta observata sint. Captivae Troades chorum efficientes profecto maxime idoneae erant, quae starent ab Hecuba, olim regina et domina, tunc serva et captivitatis socia. Cantica chorica fluunt quidem, ut ipsum tragoediae argumentum, ex mytho de excidio Trojae, sed non omnia cum actione apte cohaerent. Parodi (vv. 100. — 155.) argumentum bene est compositum. Vix enim Hec. somnia malorum praenuncia narravit deosque, ut servarent liberos suos, obsecravit, quum jam somnia vera evadunt. Captivae undique accurrunt, reginae Achivorum decretum de Polyx. immolanda nunciantes. Apte quoque in hac parodo diversae Graecorum principum sententiae commemorantur. Ut enim in concione illa Agam. propter amorem suum erga Cassandram a Polyxena et Hecuba stat, Ulixes vero diserta oratione Achivos de Achillis meritis monens pervincit: sic postea in progressu actionis Ulixes ad abducendam Polyxenam missus immitem atque inexorabilem se praebet, justa Achillis postulatione diserte se muniens, Agam. vero iterum cum Hecuba stat adversus Graecorum socium. Primum stasimum (vv. 448. — 487.: αὔρα, ποντιὰς αὔρα) ex actionis progressione non fluxit. Dum regina malis perculsa humi jacet, dum virgo innocentissima crudelissima afficitur morte, Troades nihil laborant neque de Hec. neque de Polyx., verum suam tantum miseriam deplorant, quaerentes, quaenam servitii sortes, quinam domini futuri sint cuique. Raumerus (in annott. ad Eur.) chorum in hoc cantico recte non Hecubae mala, quibus jam assueverit, sed suam condicionem deplorare dicit idque summae actionis prodesse judicat, quod facultatem aliquam requiescendi praebeat animis spectatorum. At praebeant licet, quin etiam necesse est chori cantica hanc facultatem, dummodo, id quod ab Aristot. praescriptum, in hoc vero cantico neglectum est, posita sint in ipsa actionis progressione. Nec magis probandus est Firnhaberus, qui[26]) chorum hoc stasimo ad sententias ab Hec. v. 423. et a Polyx.

[24]) in commentatione de Aristotelis arte poetica, cap. IX.
[25]) in libello, qui inscribitur: chorus Euripideus comparatus cum Sophocleo.
[26]) in censura Sommerianae de Euripidis Hec. commentationis, quae inest in Jahnii annall. phil. et paedag. Vol. XXXI.

vv. 366. sqq. pronunciatas reverti judicat. Polyx. enim de vitae felicitate desperans illo loco dicit, se libenter mortem futurae sorti anteponere et Hec. quoque v. c. interrogat: τί δράσω; ποῖ τελευτήσω βίον; Num id choro ansam dare potest aberrandi ab actione et suae condicionis reputandae? Ita omnia vitiosa chorica, etiam ἐμβόλιμα, excusari posse videntur. Alterum quoque stasimum (vv. 633 — 657: ἐμοὶ χρῆν συμφορὰν etc.) ad communia tantum mala spectat neque ullo modo cohaeret cum ipsa actione. Hec. feminas hortata, ut, si quid ornatus haberent, ad Polyxenae inferias instituendas conferrent, in tentorium abit inconstantiam et mobilitatem fortunae secum reputans. Tum chorus neque hanc reputationem sequitur neque Hecubae hortationi obsecutus in Polyxenae sepultura occupatus est, sed communium malorum non minus Graecorum quam Trojanorum causam ex Paridis judicio repetit. In hoc cantico praeterea vituperandum judicamus, quod Graecorum mala plenius quam Trojanorum describuntur. Miseratio enim, quae praeterea quoque ex nostrae fabulae choricis non uni Hecubae tribuitur, verum inter hanc et Troades dividitur, hac re longius ab Hec. removetur. Firnhaberus quidem (l. c.) hoc canticum praeclare Hecubae abeuntis reputationi convenire ex eaque natum esse dicit; at toto carmine nulla prosperitatis his malis antecedentis, nulla mutabilitatis fortunae mentio fit. Nec magis tertium stasimum (vv. 899 — 946.: σὺ μέν, ὦ πατρὶς Ἰλιάς etc.) per se pulcherrimum positum est in actionis progressione. Postquam famula ad Polymestorem arcessendum missa est, Hec. in tentorium abit, Agam. vero se Hecubae ultionem adjuturum pollicitus ad exercitum regreditur. Tum chorus minime respiciens justas poenas a Polymestore repetendas neque ad deos mittens preces, ut periculosum inceptum juvent, Trojae depingit expugnationem et Paridem Helenamque exsecratur. Firnhaberus (l. c.) hoc carmen ex ultimis deducens verbis Agamemnonis abeuntis, qui dicit (vv. 896. sqq.): γένοιτο δ' εὖ πως· πᾶσι γὰρ κοινὸν τόδε, — ἰδίᾳ θ' ἑκάστῳ καὶ πόλει, τὸν μὲν κακὸν — κακόν τι πάσχειν, τὸν δὲ χρηστὸν εὐτυχεῖν, Troades ad hanc sententiam se applicantes ostendere putat, se minime fuisse κακάς, attamen nihilominus malis opprimi. At in descriptione illa securitatis, qua implicitae Troades malis repentinis oppressae sunt, nulla significatio χρηστότητος vel innocentiae apparet. Etsi verissimum est, quod Pflugkius (ad Hec. v. 905.) hoc stasimum defendens dicit, carmen maxime idoneum esse ad commovendos miseratione spectatorum animos eaque ex causa Euripidem laetitiam atque securitatem, quae miserae illi cladi antecessissent, depinxisse, tamen negari nequit, canticum nullam actionis habere partem, id quod Pflugkius ipse (in praef. p. XXXVIII.) de Euripideis choricis universis concedit. Nullum igitur nostrae fabulae canticum praeter unam parodum in actione positum est. Ea quoque, quae chorus extra cantica trimetris pronunciat, non semper cum re gesta gerendave cohaerent, quod Troades neque „amice consiliantur" Hecubae, neque precantur deos, ut ultio bene succedat, neque alia agunt, quae Horatius cum Aristot. optime consentiens praescribit (ep. ad Pis. 193. sqq.), verum reginae malis intexunt sua. Quin etiam haud scio an chorus Polymestori, homini scelestissimo, caecato nimiam tribuat miserationem, dicens (vv. 1076. sqq.): ὦ τλῆμον, ὥς σοι δύσφορ' εἴργασται κακά· — δράσαντι δ' αἰσχρὰ δεινὰ τἀπιτίμια — δαίμων ἔδωκεν, ὅστις ἐστί σοι βαρύς. Quod Hermannus ultimo versu deleto aliqua ex parte imminuit. Generales chori sententiae plerumque ex orationibus, quibus subjunctae sunt, fluunt, praeter unam, quae aliena videtur (vv. 840—843). Nondum enim neque dixit neque fecit quidquam Agam., ex quo appareat, eum Hecubae ultionem adjuturum, immo etiam v. 806. regina ex ejus gestu contrarium colligit. Longiora colloquia (στιχομυθίαι) inter chorum et actores in nostra fabula non inveniuntur.

Jam ea quae de nostra fabula hactenus dicta sunt, paucis complectentes in hanc ducimur sententiam. Hecuba Euripidea parum satisfacit artium praeceptis ab Aristot. datis, quum in ea multo plura insint, quae ex mente illius vituperentur, quam quae laudentur. Primum enim unitas atque integritas, quae est summa actionis, omnino neglecta est, quum fabula composita sit ex duabus

partibus, quae inter se minime cohaereant neque conjunctae sint inter se nisi exteriore vinculo unius personae primas partes agentis. Deinde actionis compositio simplex est, quam Aristot. postponit implicatae. Tum neque commutatio fortunae neque πάθος adaequant optimum, quem phil. proposuit, modum. Neque minus morum descriptio universe vitiosa est, propterea quod non ad personarum tempora, verum ad Euripidis aetatem accommodata est. Pari modo sententiae in universum graviter vituperandae sunt, quod ab heroica aetate digredientes ad philosophiae disciplinam, qua poeta usus erat, se applicant. Denique prologus quoque et chorica ex Aristotelis mente graviter vituperanda sunt. Nihilominus fabulam nostram a veteribus magni aestimatam esse videmus, quamobrem judicare non possumus, Euripidem temere atque inconsulte a pristina tragoediae natura recessisse. Itaque judicandum est, spectatores, quibus res novae ab Eurip. in tragoediam inductae maxime blandirentur, ad artium praecepta parum respicientes vitiis, quae cum novis illis rebus conjuncta erant, libenter ignovisse atque gavisos esse, quod se ipsos in scena repraesentatos viderent. Inde igitur summae fluxerunt laudes, quae Euripidi ab aequalibus tributae sunt. Remotis vero Aristoteleis artium praeceptis, quae in omnibus Euripidis fabulis plus minusve neglecta sunt, Hecubam in optimas ejus tragoedias referre non dubitamus. Neque inutilem eam fuisse ad affectus metus et miserationis commovendos cognoscimus ex eo, quod Plutarchus (de Alex. M. sive virt. sive fort. II. 1.) narrat, Alexandrum Pheraeum, ferocissimum atque crudelissimum tyrannum, Hecubae et Polyxenae mala in scena repraesentari videntem lacrimas tenere non potuisse. Id parum cogitant recentiorum criticorum nonnulli, qui propterea quod Eur. a priore tragoediae more digressus novamque, ut aequalibus suis placeret, viam ingressus est, justo iniquius de eo ejusque fabulis judicant. Itaque minime consentire possumus cum Hermanno, qui (ad Hec. 760.) de nostra fabula judicium facit hoc: „Si Eurip. Hecubam non scripsisset, quid aliud quam aliquot lamenta mulicrcularum periissent?“



Schulnachrichten.

Erster Abschnitt.
Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Herr Oberlehrer **Weierstraß.**

Deutsch. Uebersicht der neueren National-Litteratur mit Proben aus Bone. Lectüre: Göthe's Hermann und Dorothea. Außerdem Leitung der Privatlectüre. Grundlehren der Psychologie. Dispositions-Uebungen. Freie Vorträge. Monatliche Aufsätze. 3 Stunden. Herr Oberlehrer Altendorf.

Latein: Cic. de natura Deorum l. I., 1—18 und l. II. Orat. pro Murena. Orator. Repetitionen aus der Grammatik. Wöchentliche Exercitien nach Süpfle, schriftliche und mündliche Extemporalien, monatliche Aufsätze, Uebungen im Lateinsprechen. Leitung der Privatlecture. 5 Stunden. Der Ordinarius. Horat. carm. lib. III. und IV. und ausgewählte Episteln. Wiederholung von lib. I. und II. der Oden nebst metrischen Uebungen. 2 Stunden. Der Director. Freie Vorträge nebst Disputationen und Extemporiren aus Cic. und Tacitus. 1 Stunde. Derselbe.

Griechisch: Plat. Crit. und Apolog. Thucyd. lib. VI. Erklärung und Uebersetzung zum Theil lateinisch. Grammatische Repetitionen nach Buttmann. Correctur der 14-tägigen Exercitien. Extemporalien und Klassenarbeiten. 4 Stunden. Der Director. Hom. Iliad. lib. XVI.—XXIII. Repetition von lib. I.—VIII. und Extemporiren aus lib. IX.—XV. Sophocles Electra. 2 Stunden. Der Ordinarius.

Französisch. Lamartine: voyage en Orient und Horace par Corneille. 14-tägige Exercitien und Extemporalien. Erklärung zum Theil in französischer Sprache. Repetition der Syntax nach Knebel. Sprechübungen. 2 Stunden. Bis Weihnachten Herr Gymnasiallehrer Neus, nach Weihnachten Herr Gymnasiallehrer Dr. Bludau.

Hebräisch. Wiederholung der Formenlehre nach Vosen, die unregelmäßigen Verba und die wichtigsten Regeln aus der Syntax. Uebersetzt und erklärt wurden mehrere Psalmen und einige Kapitel aus Jeremias. Schriftliche Uebungen. 2 Stunden. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski.

Religionslehre. a) Für die katholischen Schüler. Nach Martin aus der Glaubenslehre die Lehre von den Sacramenten. Aus der Sittenlehre der allgemeine Theil. Wiederholung der ganzen Religionslehre und Kirchengeschichte. Gelesen wurde das Evangelium des h. Johannes im Grundtexte. Aufsätze. 2 Stunden. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski. b) Für die evangelischen Schüler. Artikel 1, 2 und 3 der conf.